



Universitätsbibliothek Paderborn

**Illustrissimi Domini Simonis De Fierlant, Hispaniarum Ac
Indiarum Catholico Regi, In Hispania Ac Belgio, A Concilio
Status, Brabantiae Cancellarii, Catholico Ab Affectu
Tractatus, Quo, Clarissime ...**

Fierlant, Simon de

Coloniæ Agrippinæ

§. 2. Digresso ad Librum de Frequenti Communione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37059

nisi vitam notabili ante absolutionem tempore immutaverit. Etenim, ut iste coram Deo & verè absolveretur, necesse foret, ut esset conversus subito, & tametsi nemo inficias ierit, quin hoc possit Deus; attamen hoc ita fieri solitum post ejusmodi vitæ genus, nemo quoque ausit afferere. Unde & Carolo Reymakers exempla filii prodigi, Publicani &c. objicienti, breviter reponit, & id ipsum, quod uterque symmista reposuit; ut adeo Trium-Viros nostros pares in armis prorsus videoas, nec eodem tantum ferro suum dogma propugnare, sed eodem etiam clypeo defendere; tales, inquit in Apologia pag. 102. *Conversiones miracula potius, quam exempla esse diximus.* Et ante revera non semel sed iterato dixerat.

§ 2.

DISGRESSIO AD LIBRUM de frequenti Communione.

HAEC tenus tres unius Magistri Discipulos audivimus; & ita quidem inter se vidimus æmulos, ut dubium sit, quis eorum in Schola Vergeriana primam palmam duabus reliquis præripiat: exigeret nunc ipsa æquitatis & honestatis ratio; ut qui Discipulis geminas hactenus aures præbuimus, unam ipsi Magistro ne negaremus; verum tamen faciunt mei Trium-Viri, ut id, quæ non necessarium, tam propè inutile sit; nam quæ ad id præstantum

ET INFELIX CONCORDIA. 129

dum ratio me moveret una hæc esset, ut planum facerem Gallicum Sancyrani ludum diligenter eos frequentasse, & ex ejus placitis amarulenta adeò dogmata suxisse: atqui ipsi hoc non negant Trium-Viri; sed nec Pater Gabriëlis negare potest, ut maximè vellet; præsertim postquam & Cornelius Zeghers scrupulo suo trigesimo manifesti plagii cum convicit, & ego in priori libello cap. ult. §. 3. & 4. Vergerianas plunias omnes detraxi adeò, ut tunc Lectori moverit *cornicula risum furtivis nudata Coloribus.* Macarius autem, ut maximè posset, negare non vellet, cum pag. 144. *insigniter de hac materia scripsisse* dicat *D. Arnaldum* (hoc est uti omnes novimus Joannem Vergerium Sancyranum Abbatem) *in libro de frequenti Communione;* & addit ejus vestigia pressisse in sua methodo Ex. D. Gummarum Huyghens, in qua methodo, ut ipse vocat *utilissimam*, suum ipsius de Consuetudinariis dogma *late & bene confirmatum*, jam supra dicere eum audivimus, in Tyrocinio pag. 314.

Te autem quod attinet Eximiè D. Gummare, tantum abest, ut aut possis id negare, aut velis, ut non obscurè etiam in Apologiâ tuâ pag. 95. & seq. gloriari hoc Magistro videaris; nam quem Arnaldum ibi nominas, Vergerium esse tu ipse non nescis, qui sub Arnaldi nomine suum de frequenti Communione librum publicam lucem videre voluit, cur autem sub suo prodire noluerit, mysterium est, & tibi datum est Gummare nosse ea mysteria. Ut

R

ut

130 TRIUM-VIRORUM VANA
ut est, ne hic, ubi de re constat, litigemus de nomine,
tuam methodum ita proprinqua cognatione librum de
frequenti Communione attingere admittis, ut speciosam
ejus libri & turgidam Episcoporum sedecim, Doctorum
plus minus viginti, & universæ Ausensis Synodi, cui
undecim interfuerint Episcopi, approbationem ad tuam
methodum non obscurè extendas: ita enim tu ad Adver-
sarium: *tuo igitur iudicio doctrina Methodi in illius libro con-*
tinetur. Velis nolis itaque mihi concedere debes, quod omnes,
quotquot doctrinam D. Arnaldi (hoc est Vergerii) approba-
runt, doctrinam quoque methodi comprobarint: tum glorioius
assurgis; Quo igitur veritatis colore afferis doctrinam methodi
esse paucorum Lovaniensium dumtaxat aut Belgarum, si
illam in D. Arnaldo (seu potius Vergerio) extra Belgum tot
Doctores suffragiis suis approbarint, & quod potissimum
est tot Episcopi, & ingens procul dubio in illorum cuiuslibet
Dioecesi Pastorum numerus amplexi fuerunt? tune doctrinam à
tot tantisque Viris approbatam antiquatos errores appellabis?
Satis illa quidem magnificè, & quod scias, non invidebo
methodo hodiè tuæ illustrissimam illam & eximiam tot
Episcoporum & Doctorum commendationem, nec
eorum autoritatem elevabo; quamquam profecto elevare
si vellem, vel ex hoc uno cumulate id facerem, quod
nihil in eo repererit, quod veritati Catholicæ repugnet
Archij-Episcopus Turonensis; Adurensis Antistes nihil de-
prehenderit quod Sanctæ Matris nostræ Ecclesiæ Catholicæ,
Aposto-



ET INFELIX CONCORDIA. 131

Apostolicæ , ac Romanæ dogmatibus aut pietati aduersetur ,
vel non penitus congruat Macloviensis Antistes , nihil quod
sanæ doctrinæ vel piis moribus aduersetur : omnia autem
cum *Sacro-sanctorum Conciliorum ac Orthodoxorum Patrum*
doctrina apprimè convenientia : & ut immensum illum
encomiorum oceanum citato cursu remis velisque emetiar
alii nihil non orthodoxum , sanumque continere , nihil à fide
dissentaneum habere , Catholicæ , Apostolicæ ac Romanæ
fidei per omnia congruere , imo certissima etiam Ecclesiæ
oracula exhibere , tot tamque illustribus titulis decorando
testentur ; & interim ille ipse liber in ipsa præfatione , &
in ipso tantum non limine hanc legentium oculis propo-
sitionem objicit , l'humilité de ce grand Apôtre a été depuis
imitée par S. Paul , qui est l'autre œil de la tête de Iesu
Christ , comme dit un Pere , aut ut habet editio Latina anni
1647. tanti Apostoli humilitatem Paulus , quem una cum
illo , in corpore cui caput Christus est , quasi geminum lumen
oculorum S. Leo constituit , postmodum est imitatus . Et
paulo post : De sorte , que l'on voit DANS LES DEUX CHEFS
DE L'ÉGLISE , QUI N'EN FONT QU'UN , le modèle de la
penitence &c. Hoc est ut editio vertit Latina , ita in DUOBUS
SUPREMIS ECCLESIAE VERTICIBUS , QUI UNICUM EFFICIUNT
&c. quam quidem propositionem S. D. N. Innocentius
Divinâ Providentiâ Papa X. non ut temerariam modò ,
aut scandalosam , aut in fide etiam periculosam ; sed
hæreticam prorsus censuit & declaravit . Viderit ergo aliis

R 2

quantæ

quantæ autoritatis esse debeant magnifica illa de eo ipso
libro testimonia : nihil in eo reperiri quod fidei, quod veritati
Catholicae, quod *Sanctæ Matris nostræ Ecclesiæ Catholicæ*,
Apostolicæ, ac *Romanæ dogmatibus* & *sanæ doctrinæ ad-*
versetur vel non penitus congruat. Ego bonâ tot Episcopo-
rum, tot Doctorum, & Provincialis cœtus Ausensis, &
tuâ, ut spero Gummarum, bonâ veniâ Innocentio X. Epis-
coporum Episcopo, Ecclesiæ Catholicæ Doctori & Ca-
piti, legitimo S. Petri Successori, & Christi in terris
Vicario, ejusque infallibili judicio certissimâ fide adhæreo.
Interim, ut dixi, non in video hodiè tuæ methodo
illustrem illam prorsus & eximiam tot Episcoporum
Doctorumque approbationem, nec volo quidquam eorum
nominibus detractum, sua iis, si fieri possit, post Innocentii
Decretum, integra constet auctoritas. Imo, ut planè
intelligas quam sincerè tibi hoc nomine gratuler, & quam
liberaliter illud concedam, autor tibi ipse sum ut si novam
aliquando lucem recusa methodus tua videat (tenebris
alioqui dignior) purpuratam illam tot illustrium nominum,
tamquam totidem non tuæ methodi minus, quam libri
de frequenti Communione, approbatorum longo ordine
seriem majusculis literis præmittas, & induci me facile
patiar, ut credam etiam Vergerianum librum probari non
potuisse, nisi eadem operâ methodus Gummariana com-
mendaretur, quin & contra obloquentium & obstrepentium
ora, ut sunt proni ad obtrectandum aliqui, jure id à te
factum

ET INFELIX CONCORDIA. 133

factum defendam , nec improbabilis usus argumento , id in tui , Gummare , gratiam evincam ; quorum librorum una sit & eadem doctrina , eorum etiam laudem & commendationem debere esse communem.

Hæc dum præsto , id præterea commodi esse video , quod unius causam dum ago , trium agam , & eadem operâ de tribus optimè meritus , unius libri de frequenti Communione tam illustrem splendorem , non methodo modo Gummarianæ , sed Macariano examini , & Morali etiam Gabrielianæ communicem , non tantum quod ex uno æqualiter fonte veluti totidem rivuli profluant , sed quod inter se etiam singuli similes ejusdem prorsus coloris & saporis aquam suis alveis provenant . Sed hem ! miserum me tui Gummare Patronum , imo miseram tuæ methodi conditionem , quæ à me feliciter satis laudari aut commendari non possit : video enim tenebras tuo libro affundi , undè lucem sperabam , & quo argumento laudem conciliare studebam , eo infamiam accersiri : ita profectò est , & hoc naturalis justitiæ ratio exigit , ut quem jura in partem commodorum miserint , commune etiam incommodorum onus ferre jubeant ; & quorum librorum una sit & eadem doctrina , eorum ut laus inter se communis esse debet , ita infamiam non posse esse diversam ; atque ita fit , ut , quâ viâ à libro de frequenti Communione Gallicam illam tot Episcoporum Doctorumque lucem ad te derivari debere contendis , eadē ipsâ viâ à libro P. Gabrieli

Ro-

Romana fulmina in tuum ipse caput incautus trahas ; nam si ob unitatem doctrinæ Vergerianus liber probari non potuit , nisi tuus commendaretur , ut tu contendis , & ego lubens admitto , tu vicissim admitte , quod ego pugno , ob unitatem item doctrinæ Motalem Gabrielianam condemnari non potuisse , nisi tua Methodus censuraretur . Quid enim dices , aut quæ denique elabēris ? negabis commune tibi quidquam esse cum P. Gabriēlis ; at qui potes ? ex eodem uterque fonte , tu tuam Methodum , ille suam de Sacramento Pœnitentiæ moralem , hausistis ; quid quod tuam Methodum Evangelio Christi toties glorieris esse conformem : debet ergo cum Morali Christiana in unam coalescere doctrinam , quam scilicet Patrem Gabriēlis *in crebra Iesu Christi Evangelii meditatione certissimam hausisse* , tu ipse in Racemationibus tuis testaris . Quod si obliūctari tamen pergas , & tuam Methodum ex libro quidem Sancyrani desumptam ita glorieris , ut ex Morali Gabriēlis descriptam neges ; id tamen certè negare non potes , ipsum P. Gabriēlis uni isti libro debere omnia , quæ in sua Morali de Pœnitentiæ Eucharistiæque Sacramentis infelicititer tradidit ; quæ quidem dogmata si in P. Gabriēlis Romano bis fulmine turpiter periē , nihil sumi putas , nihil fuliginis adhæsisse Vergeriano libro , unde illa ipsa dogmata cum phaleris suis omnibus erant deprompta ? quare suspectus quidem ex ea tempore , & alienā fuligine nigricans mihi sit iste liber , nec pura adeò

ab

ET INFELIX CONCORDIA. 135

ab eo in tuam Methodum aut candida lux affundi potest,
quæ fumo ipsa Gabrieliāno aut extincta penitus, aut multum
obscurata sit; quamquam illustrior ita fortè videatur jam Me-
thodus, quod non ab Episcopali illa modo & Gallica luce
sed à Romanis etiam fulminibus resplendeat; habent enim
& suam lucem fulmina, lugubrem illam quidem, sed
lucem tamen: atque hæc quidem si placeat, possum
Methodo gratificari amplius, & tertium lumen adjicere;
dabunt illud Catholicæ & Sacramenti Pœnitentiaæ vindic-
ces flammæ, in quas speciali edito Decreto S. D. N. beatæ
memoriæ CLEMENS Papa IX. anno 1668. famosí Ritua-
lis Aletensis exemplaria omnia comburenda conjecit; fecis-
sentque utinam superi, ut ignis iste Clementinus ea & pe-
nitus absumpisset, & omnia. Sed heu! quæ quorum-
dam hominum est in Pontificia Decreta contumacia,
solus in cineres titulus abiit; nam ipse liber sub alio titulo
postea recusus, primo Parisiis anno 1670. deinde Lova-
nii anno 1671. tertiam etiam ibidem anno 1674. lucem vidis-
set, & quidem sub Censura Ordinarii, nisi ipso in ortu Au-
toritas Regia suppressisset: at nec ita suppressit, ut non
eo ipso anno 1674. in alio libro (prodiit eo anno Metho-
dus) magna sui parte prodierit. Et te quidem Gummare
in *Continuatione Responsionis brevis ad Tractatum tertium*
à pag. 86. usque ad 124. per novem parallelas, eaque manifesta
cum D. Arnaldo, hoc est Vergerio, & Rituali Aletensi
composuit Carolus Reymakers, & ita quidem, ut inter
utrum-

utrumque medius legaris, & meritò, non enim alias ap-
tior dari tibi poterat locus, quando ab utroque æquali,
hoc est exiguo admodum, intervallo distabas.

Tu interim perge, Gummare, & gloriosius, ut facis
in Apologia, tot tuæ Methodi approbatores numera,
quot Vergeriani voluminis præcones novisti; nec malè eos
quæris in Gallia, quos Toletano judicio condemnatus, in
Hispania non invenies. Imo, si lubet, licebit, ut dixi,
ad majorem pompam, si quando denuò imprimenda sit
Methodus, illustrem tot Antistitum Catalogum primâ in
fronte præmittere, dummodo ad gloriæ complementum
in fine adjicias Clementinum in Aletense Rituale, & ge-
minum in Moralem Gabrielianam Romanæ Inquisitionis
Decretum; Romanæ inquam, nam Toletanam in eam
censuram potes omittere; neque enim quod proprium ipse
possideas, aliundè debes emendicare.

§. 3.

CONSuetudinario danda
*non est Absolutio Sacramentalis, nisi ipsam
 consuetudinem prius exuerit.*

ALiquantò quam putaram longior digressio nos tenuit,
 nec incommodè id accidit; Consuetudinarius inte-
 rim noster nihil temporis inutiliter elabi passus, quando
 ita volebant Trium-Viri, rigidus in se suorum criminum
 vin-

